

DEO OPTIMO ·M·AX·

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis
21. *Februarii.* 1730.

M. JOANNE-BAPTISTA SILVA,
A CONSILIIS CUBICULI REGII,
SERENISSIMI DUCIS BORBONII ORDINARIO
Medico, Doctore, Præside.

An semper in Inflammationibus Revulsio?

I.



SI quantùm in Theoretice sanguinis intrà vasa circumacti Inventio potest, tantùm in Πράξει recta ad sanguinis missionem Partium electio valeret; non minùs hæc prosperis diraretur Successibus, quàm illa præclaris Speculationibus illustrata est. Ut autem Homines ad captandas vanæ superstitionis opiniones promptissimi, sic ad amplectendam, si quandò nuda, simpléxque proponitur, Veritatem maximè segnes & tardi videntur. Ipsos à veri prensatione sæpè deterret diffidentia, invidiáve, non priùs auditum refugiunt ab alio accipere. Nobile quodliber inventum suffragia non primùm, aut rarò sequuntur, quæ tamen series temporis abripir. Circulari motu sanguinem agi detexit elapsa nuper æras; hujus verò motûs usum ad Πράξιν nostra determinat; quippè quæ corporis varias variis pro morbis partes ad venæ sectionem eligere doceat. Omnium qui manant in humano corpore liquorum velurì fons & origo sanguis. Congeneres sibi morbos pariunt humores; ex sanguine autem ipso proximè pendent Inflammationes: dirum sanè morbi genus! Omnes indiscriminatìm corporis

partes adoritur, & in quâlibet varia producit accidentia, ſub acutis doloribus, & ſemper cum febre. Univerſum quùm oppetit Caput, ſurgit dolor præſens, maximéque acerbus: rubet cum tumore facies: venæ diſtentæ ſolito magis intumeſcunt: Arteriæ turgidæ acriùs pulſant, præſertímque ſub temporibus: oculos aperire Æger præ dolore non audet: urget diem nox, & dies noctem, nec eſt levamen: urina copioſa & limpida; ſæpe-numerò adventitia torret Febris, tunc magna pulſûs agitatio, magnus impetus: crebra fit reſpiratio: lingua ſicca, ſcabra, ſubamara, & ad radicem nigricans: ſiti enectus æger atidis pocula faucibus trahit: inſuperanda tentant cum inſomnia, & tùm quùm ſui vel maximè compos videtur, interdùm inſulſiſſima quæque deblaterat: urina rubra eſt, & ſedimento carens. *Meninges* præcipuè ſi occupat Inflammatio, lucidi quaſi concipiunt ignem oculi, vel madentes nonniſi tardè movenrur, humor & in genas furtìm labitur: nec faciei color, nec mens ægrotanti certâ ſede manet, intérque morbi crudeſcentis acceſſiones, fugacia accidunt deliria: quidquòd & pulſus levi ſæpè momento varias accipit mutationes, demiſſus alternatìm & elatus, debilis àc validus, ſegnis atquē concitatus: *Carotides* vehementiùs, quàm reliqui corporis Arteriæ quatiuntur; ſpaſticos partibus in variis, ſcilicèt manibus, pugillíque maximè nervis diſcernas ſubſultus: digiti ſolito magis inflati vix contrahuntur, urina flammea & lucida: ut plurimùm ſurditas accidit, tunc aliquandò è Naribus ſanguinis eruptio, aut vox intercipitur, aut collum vehementer dolet: quid accepturus æger manibus tremit: ſe ſuprà latus porrectum amat, & in ventrem ſemi proſtratus jacet: crura quaſi ſpontè è lecto deſiliunt: jam mentem mirè commovet delirium: confabulatur, ridicula petit, ſéque in ſe interdùm requirit: expoſcit veſtes propriæ debilitatis inſcius, & è cubili ſurgere quùm nititur, ſæpiùs & temerè ictus impingit obvio cuique, flebilis etiam ſponſæ immemor, cruentum fert in aſtantes vultum, imprimítque manibus memorem dente notam, è ſtrato ſurgere pertinax; at culpam mox pœna premit comes, frequentèr enim illum recidere ſemivivum, nec ſinè aſtantium terrore videas: deindè præſentis laboris indolentia eſt: trucem torvus humi ponit vultum, digitis micat, vel ab ore flocculos eripere ſtudet, vel ſtragulis legere, hæc ſæpiùs ad ſe relegere perpetuò nititur. Inflammatâ verò ipſâ cerebri ſubſtantiâ, tunc jacet caput aggravatum dolore ſæpè magno, non tamen acuto laborat, ſed ſæpiùs dolor eſt tacitus & merè aggravans: ſubtriſtis oculus pupillam habet diſtentam: languor ſummus eſt, febréque major: inter initia morbi, implacatæ extant aliquandò inſomniæ, laténtque cauſæ: ſæpiùs in torpore invicto jacentem invenias: portentoſa rerum ſimulacra ſenſibus, & menti ſe objectant: improbo ſomno adempta, ægro vix reddit lumina vigilia, nec meminit, nec ſe dormiviſſe putat: lumen, rutilans refugit oculus: velox & laborioſa reſpiratio: aliquandò pulſus qualis in ſanitate: urina ſæpè ſine ullâ vitii notâ: nonnullis intumeſcit venter: præſens eſt vertigo tenebricoſa, ipſi ſibi aliena loquitur æger, ſtertítque ſupinus: ſemi-aperti oculi nocte caliginoſâ premuntur, vel ſub palpebris tardè motitantur tumidi: tranſpiratio & expiratio præter conſuetudinem malè olent; ſi longiùs procedat morbus, omnia in meliora converti dicas: inſida Pax! & lætiferæ ſuppurationis prænuncia. Si Fauces impetit Inflammatio, caput movere nec audet, nec valet æger: capitis autem dolore, àc vigiliis urgetur: magna reſpirandi difficultas abſquè ullo thoracis & pulmonum vitio; erigitúrque ſupra dorſum, obvias hiando ut captet auras: albo, lentóque muco obducta eſt lingua, quæ livida deindè, nigra, inflexa, vel retorta: aliquandò nares humore manant: oculi rubent & illacrymantur: os aliquandò ſpuma inficit: tenui ſe voce refert: ſitim reſtinguere optat, ad Nares autèm reſilire ſolent aſſumpta: videt, audítque obtusè: vel acutiſſima quùm ſit febris, ſuffocationis imminet periculum, nec ullus apparet tumor; jam faciliùs ſpiritum ducere videtur ægrotans & deglutire:

ſalutis ſpes fulget, at præceps ſanitatis ſtatus ſpem vetat longam inchoare, námque rubor ſi extrà non vertitur, repentè, prægreſſo animi deliquio, obrepit mors; aut in cervice rubor ſimùl & in pectore ſi apparet, maxima, crebráque fit *Carotidum* arteriarum contractio: ſpiritus foràs erumpens fuliginoſus: fœtidus halitus: ſudores tunc ſalutiferi: deindè pulſus fit inæqualis, ſi transferuntur in Pulmones morbi ſemina: Delirium, effervefcente febri, ſequitur: aliàs madore uberrimo totum perfunditur corpus: vox cliditur: tunc æger videt omnes, neminem diſcernit: oculis licèt ſemi-apertis, nihil intuetur: auditur ſibilus, àc plenus fervet in gutture pulmo, mortíſque fert omina. Thoracem dum ferir Inflammatio, ſæpè invadunt horrores, deindè febris fit continua, acuta, & ſerotinis horis acerbior: vomitiones aliquandò interſunt morbi primordiis: jam fixus & velutì pungens angit lateris dolor, qui circà dorſum aliquandò ſerpit, nec raró ad ſternum recurrit, quandóque inter ſcapulas, quandóque ſub unâ tantùm ſcapulâ, & Jugulo àc Mammæ communicatur, præſertìm dùm tuſſit, quod frequentèr & moleſtè: pulſus exiguus, perdurus, & velox: Reſpiratio crebra & difficilis, cumulatáque fit aliquandò cum ſuſpirio: per omnes inſpirationes Narium pinnæ dilatantur: plurimus in pectore ſtrepitus: ſputa ſanguinea cum tuſſi acerbâ ejiciuntur: urina rubra & craſſa, cùm nubeculâ oleoſâ innatante: Alvus aſtricta, vel ſi ſoluta nimìs & cruda, in pejus ruit valetudo: tandèm in unum latus per decubitum, dolor tendens moleſtat, acerbiórque fit tuſſis, quàm in alterum: nulla acquirirur quies: eò acerbiora autem hæc omnia accidentia, ſi ſit thoracis collapſi anguſtatio atque gibboſitas; ſudores ab initio morbi, malum portendunt, & ſimùl ſi nunc nupèr præceſſerit horror, peſſimum, materiam jam ſuppuraſſe ſignificatur; deniquè vultus demiſſior, oculi aureo colore ſuffuſi, & caligine obducti mortem prænunciant. Inflammatione laceſſitur *Diaphragma*? quis dolori ſit pudor, aut modus nemo dicere queat: indecora corporis compoſitio: tremula reſpiratio: ſuſpirioſi anhelitus, frequentia verò, brevia, & acerba ſuſpiria: nunquàm datur ſternuendi libertas: pulſus exiguus, durus, àc contractus: urina tenuis admodùm & pellucida: ad infimam dorſi, àc ſupernam Lumborum ſpinam dolor: abdominis latera revulſa, & dura: Riſus ſardonicus, deindè fulgentes ſunt oculi, & delirium remiſſionis expers ſequitur. Stomacho inflammato, dolor ardens excruciat pulſans, àc per totam ſuperiorem ventris regionem pungens, ſæpiùs ad uſquè dorſum pertingens: ſcapulæ deorsùm trahuntur: Reſpiratio minùs facilis, ſicùt & degluritio, ſi ad gulæ canalem uſquè pertingat inflammatio: magis rubra facies, quàm natura dat vulgò videri: tumor adeſt conſpicuus in medio *Epigaſtrii*, hujus autem diſtentio & durities, non ſinè dolore prementi obnitens: Arteriæ *gaſtricæ* pulſatio, tangentis manum maximè feriens, præſertímque poſt aſſumpta, atque quaſi repetita partis elatio: ſequitur ſingultus, in quibuſdam vomitio frequens, nonnunquàm cruenta: nulla ſaliva: urina qualis in homine ſano, ſæpiùs flammea: lingua rubra, vel albiſſima: à calentibus juſculis caput avertit æger, frigidúſque eum recreat potus: univerſum corpus conſentit laboranti ſtomacho: ſæpè exteriora rigent, interiora uruntur: cordis & interdùm palpitatio: in Abceſſum ubi tranſmutatur materia morbi, manus intumeſcit, itidèm & pes lateris oppoſiti: ſi frigidus ſpiritus, jam in anguſto ſunt res ægri. Dum Hepar occupat Inflammatio, rubro vultu renidet æger, fuſcus tamèn, àc viridis ineſt non raró faciei color, reliqui verò corporis ad icterum vergens: ſummum cibi faſtidium: color linguæ primùm ruber, poſteà obducitur lentore flavo, deìn nigricante: dextro ventris latere, ad ſpurias coſtas, tumor ineſt, cùm obſcuro dolore, qui acutus ſempèr, ſi in jecoris membranis affectio; alioquìn dextrum in latus cubanrem, ſurdus angit dolor, at in ſiniſtrum acerbior: ſupinus autem tolerabilis decubitus: lateri dolenti admotâ manu, varium inflammationis gradum, ex tumoris magnitudine,

caloríſque ſenſu percipit Medicus perſpicax : pulſus maximus, durus, inæqualis: ſanguinis è naribus eruptio : in quibuſdam ardens in volâ manuum, pedúmque plantâ calor moleſtat : non nullos commovet ſicca tuſſis, ſpirandíque difficultas : quìn etiam frequens aliquandò movetur ſingultus : minùs urinæ meitur, hæc autèm acris, flammea, & lateritia : alvus eſt aſtricta : nauſea, & vomitus bilioſus, vel grave ventris profluvium ; horrores ſi accidunt, pus generatur. Quùm autem inflammatur lien, lividus eſt faciei color, ſæpè rubentes malæ : difficilis ſpiritus àc velùt interſectus, præſertim dextrum in latus cubantibus : ſiniſtro autem abdominis in latere, obtuſus dolor, qui non raro ad *diaphragma* & humerum uſquè ſiniſtrum extenditur : gravitas etiam accedit in eodem latere, pulſatio obſcura & tumor, qui ut chorda tenſa interdùm renititur : lentor nigricans linguæ adhærens : quandóque nigri ſanguinis fit vomitio, & per ſeceſſum ejectio. Si Renes adoritur Inflammatio, dolor cùm gravitatis ſenſu circà lumborum regionem fixus eſt, quandóque acutus & pungens, atque ſternutamento, vel tuſſi ingraveſcens : *Aortæ* trunci deſcendentis, emulgentiúmque arteriarum percuſſio non moleſtat parùm : ardor urinæ ſollicitus : urina autèm pauca, primò tenuis, poſtcà rubicunda, craſſa tandèm evadit, ſanguinéque non-nunquàm permixta : doloribus mirè agitatur æger, ſe circumagit, neque pedibus inniti, neque erectus ſtare valet, neque in ventrem decumbere poteſt, neque in latus oppoſitum, ſi alter-uter renum inflammatus ſit ; ſupinè verò decumbente, moleſtus augetur lumborum calor : ſtupor in crure lateris affecti percipitur, & ad coleum uſquè pervadit dolor : in pleríſque aſſidua vomendi cupido, nullum autem à vomitu levamen : ſudores fiunt frigidi : ſæpè artus cum horrore algent. Si dolor in imum incidit ventrem, veſicâ inflammatâ, cruciatûs inter emittitur urina, quæ pauca & ſine Υπόςαση, ſanguine autem aliquandò contaminatur : pubis regionem, occupat dolor, & ad Περίνεον tendit, quìn & colis uſquè ad extremum cum pruritu, calore, & rubore : crebra deſidendi cupiditas : aliquandò alvi ſuppreſſio : deindè tenſio abdominis, cum ſtranguriâ, quæ ſi diutiùs perſeveret, ſuperveniente febre, ſuffocatus perit æger : vel *Eryſipelas*, ſi exrernâ in cute repentè oboritur, urinæ exitu conceſſo, ſolvitur Morbus. Inflammato *meſenterio*, quædam in abdomine reſiſtentia, ab exploratrici manu percipitur : dolor eſt circà lumbos non ſinè percuſſione divellens : vehementèr moventur *meſentericæ* arteriæ : maxima cibi inappetentia : dejectiones fiunt chylo permiſtæ, quibus purulentus, àc tenuis humor plerúmque ſuccedit. Ubi in Inteſtina fertur Inflammatio, quædam ſpirandi, & meiendi difficultas : ſummus præcordiorum æſtus : arteriarum *Gaſtro-epiploicarum & Meſentericarum* pulſatio : dolor acutiſſimus in ventre lancinat : aſſidua deſidendi cupiditas, cum torminibus, & Præcordiorum coarctatione : dejectiones autem primò albæ æquales, paucæ & opimæ, deindè flavæ ſimùl & paucæ & opimæ, poſteà ſtrigmento ſimiles, tandèm cùm caruneulis, ſpumoſæ, æruginoſæ, lividæ, nigræ, & graveolentes : membra omnia ingraveſcunt : vomitus fiunt bilioſi, & aſſidui : ſæpè comes eſt jecoris dolor, & algor membrorum : Pulſus exiguus, & durus : accedunt vigiliæ, & deliria, tùnc cordis tremor, animi deliquium, ſingultus, ſudor exuperans & frigidus, atque extremorum refrigeratio. Mira, inflammato Utero, prodeunt accidentia ; diſtento nempè tumet porrectus abs inguine uterus : calor moleſtus, repetita percuſſio, & acerbus dolor, qui ad lumbos extenduntur : crus alterutrum, non rarò utrúmque gravitate quâdam afficiuntur : tumentes ſunt uteri cervicis venulæ, & oſculum interius tumidum, & retractum eſt : magno cùm labore ægra movet corpus : quùm ſupina jacet, vix haurit aërem, ſi ſuprà alterutrum latus decumbat, dolores ingraveſcunt maximè : ſæpè ſpiritu retento rubet facies, àc interdùm quasì ad partum nititur : hæmorrhoides inflammantur, & infeſtant : rectum ad uſquè inteſtinum graſſatur Inflammatio : Alvus compreſſior, interdùm remiſſior : ſæpè veſicâ læditur,

læditur, & urina ſupprimitur, hæc autèm in dolorum excandeſcentiâ tenuis & limpida, in remiſſione verò, craſſa maximè & turbida evadit: deindè purulenti quidam humores & fœtidi utero exudant: ſuſpiria profunda emittit ægrotans, omnéſque in Medicum deponit oculos, oculi autem lucidi, inquieti, & madidi illacrymantur: incredibilis ſinûs pudoris pruritus, & mira non nunquàm coeundi libido: horrores ſæpiùs inordinati ſurgunt, plerúmque tamen compoſitâ horâ ad veſperam recurrunt; deindè febris fit maxima, ſequitur delirium, ſingultus, ſyncope, convulſio, & extremorum refrigeratio. Externam quandò partem occupat inflammatio, rubor, tumor, calor, & dolor, cum diſtenſione, percuſſionis ſenſu, àc febre, oriuntur. Hæc autèm omnia à ſanguine, cujus genuinus in circuitum motus, in affectâ parte imminutus, interceptús-ve eſt; in hunc igitur tota Medentis intentio convertatur, ut nimium cruoris, læſam in partem affluentis impetum temperet, reditùmque ex hâc promoveat. Semper proderit quod juvabit vaſa cruorem in ipſis morantem domare conantia: ſolâ hâc arte obicis reſolutionem aſſequeris, & morbi cauſam tutò evelles.

I I.

FELIX qui potuit genuinas morborum reperiſſe cauſas, atque perſpicax in re tàm arduâ, obſcurâ tantùm, cernit acutè! factus obſervationibus dives, ad illorum curationem ſecurè tranſit. Abſtruſa ſanè res, ipſum-met Ægrotatinum attigiſſe fontem. Medicorum longè doctiſſimus Hippocrates, veram morborum omnium, quorum rectè obſervarat accidentia, cauſam non ipſe ſemper agnovit; hìnc ad abditam ſupremi numinis virtutem confugere coactus, τὸ θεῖον in morbis arguebat. Ut à Mechanicâ pluribus Legibus, àc diverſi-modè ordinatâ pendet ſanitas, ſic à pluribus; diverſíſque cauſis procreatur morbus. E multiplici itidem fonte exurgit inflammatio, quæ duplex: propriis in ſanguinis vaſis una conficitur; lymphaticis in tubulis conflatur altera; ita ut hæc ſinè illâ nunquàm exiſtat, nec vice verſâ: abs inordinato autem ſanguinis motu circulari, proprió-ve pendet utràque. Mirùm quàm variis flexibus, & inoculationibus implicita corporis vaſa. Omnia tàm ſanguifera, quàm lymphatica, excepto communi *Aortæ* trunco, in conum deſinunt; ita ut à corde remotior Arteriarum extremitas, his ſingulatìm ſpectatis, coni apex ſit: collectìm è contrà ſumptis coni Baſim conſtituant ipſarum fines; omnes ſcilicèt arteriarum rami, capedinem ſimùl efformant majorem trunco, ex quo prodeunt; iterùm & pauciores illi atque exiliores, capillaribus venis, quibus inoculantur: quis Anatomiæ gnarus hoc neſcit? Sçiat & corporis liquores ab anguſto, in latum per arterias fluere. Perpetuo autem in niſu ſunt humores, & vaſa movent: at nil ſine his illorum poſſunt impetus. Quicúnque corporis terminus obſtitit, hunc tangit ſanguis. Ex ſanguiferis, lymphaticæ procedunt arteriæ. Corporis nulla pars, quæ ex ipſis nutritionem non mutuetur; omnis proindè corporis pars, inflammationis ſedes. Ubi lenteſcens ſanguis, vel rareſcens moratur, atque reſidet in arteriarum præſertìm capillarium extremis, maximè ad fines, ubi in venas deſinunt arteriæ: inoculationis punctum tranſcendere nequit arterioſus cruor: abs obice ferocior currit: truditur ſanguis ſanguine: ſicque augetur obex; diſtentâ etenim poſteriore canalis parte, anguſtatur anterior; hìnc vaſorum parietes ictibus crebris quatit protervus ſanguis: hìnc calor, hìnc Percuſſionis ſenſus, hìnc dolor: nùnc & latentis proditor, intimo calidus ſanguinis ebullientis æſtus: turgida ſanguine vaſa comprimunt vicina, compreſſionis punctum ſanguini per latus fluenti ponit obicem, ſicque augetur inflammatio, àc ſerpit: ſævit autem circà obicem ſanguis quærens ſinubus aviis ſedem, & obliquo laborat fugax trepidare rivo. Sanguis pleno nimìs flumine repens, turbido impetu adveniens, & parcè nimis rediens,

ſecretiones omnes pervertit, pro lymphâ ſanguis, arteriarum lymphaticarum oſtia ſubit, & ad ejuſdem generis venas ſæpè pervenit, in quibus morâ perversâ ad ſuppurationem tendit; vel lymphatici ipſi tubuli, nimìs quùm diſtenduntur, ſivè à lymphâ rarefactâ, ſivè quòd dilatatis ſanguiferarum arteriarum parietibus, lymphaticarum oſtia in illis hiantia, neceſſariò diſtenduntur, in has ſubrepit cruor: vi geritur res; currit enìm ferox ſanguis, dum negatâ tentat iter viâ, atque reſiſtentiam & à ſtructurâ lymphatici vaſis, & ab ipsâ obſtante lymphâ ortam evincit: ſanguis verò ſubſequens temerè inſequitur, & vi intruditur in vaſa heù nimis pleno jam turgida alveo, quæ fuerant lymphæ ſedes: ſic ſanguis ardens properat eundo in hæc adigi, inflammationémque ciere: ſic & limpidos inficit rubro colore rivos: ſic partes corporis naturâ ſuâ albiſſimæ, rubrum mentiuntur colorem inter inflammationem, & creſcentem ſequitur dolor, quùm rami nervorum turgidos illaqueunt tubulos. Sanguis ſi per *carotides*, vertebraléſque arterias velocem corripit gradum ad caput, parciúſque ex hoc refluit, tùnc infarctis ſanguine vaſis diſtenduntur membranæ; Cephalæa eſt. His autem vertebralibus, interníſque *Carotidibus* quùm in *Meninges* irrumpit, hæ pluribus cruore turgidis vaſculis diſtinguntur; *Phrenesis.* Si eodem impetu in cineream cerebri partem, ſimùl & in albam fertur, tunc illa ſubrubicunda fit: plurimis verò rubris hæc variatur punctis; & quùm in cutis Glandulas unà, per varios tùm ramorum *Aortæ* ſuperiorum, tùm inferioris ſurculos influit cruor ſpiſſo quodam àc fixo humore permiſtus, ſuppuratura concipiuntur tubercula, & ſunt *Variolæ*; at verò, ſi alio humore acri, tenuíque contaminatus ſit; *Morbilli.* Si diſſeminatur intrà cutem per maculas; Febris purpurea. Sanguine in externâ cerebri parte adacto, hæc elatior fit, & propriâ ſe mole comprimit; Stupor habetur. In cerebri, & cerebelli meditullium, àc ſinus, luxuriosè ubi effunditur ſanguis & ſtagnat, cerebrum opprimit, & medullam *oblongatam*, *ſpinalémque*; Apoplexia. Si lucidas cogitur inire ſedes, quùm per ramos externarum, immò & internarum *Carotidum*, in tunicam oculi adnatam truditur; Ophtalmiam parit. Quùm verò in ſuperiorem Fiſtulæ pulmonariæ partem, per ſurculos ex *Carotidum* truncis germinantes appellitur; anginam. Dum à *Subclaviis* per ramos *intercoſtales*, ad binas coſtas ſuperiores utrímque, itidem & per *intercoſtales* inferiores, ad infimas ſubſequentes coſtas, in *Pleuram* fertur tentator Membranæ ſanguis; legitima conflatur *Pleuritis:* ſi per *Thoracicas* abs *Axillari* oriundas; ſpuria. Quandò per emulgentes arterias copiosè ad renes delatus ſanguis, ex his parcè nimìs revehitur, glanduloſóſque in tubulos adigitur; *Nephritis*, ſimúlque aliquandò *Dyſuria.* Si in veſicæ ſubſtantiam, per *Hypogaſtricam* arteriam irrumpit cruor; *Iſchuriam* creat, & ſæpè *Dyſuriam.* Quùm verò pudendas per arterias, ad veſicæ collum, & ad urinæ canalem advolat; Stranguriam, quandóque *Iſchuriam.* Ubi ſincerus ſanguis in lymphatica cutis vaſa tranſit; Εκχύμωσις oritur. Humore tenui & bilioſo animatus, per cutem ſerpit? *Eryſipelas.* Cœnoſus ubi præſente febre vehementer ardente implicat ſe, vel ſub Axillas, vel ad Inguina, aut ad Parotidas; Bubones exurgunt. Tandem quâlibet in parte, corporis interna & externa metendo ſanguis, rapido vortice feratur, víxque ſuis excipiatur vaſis, lenteſcénsve in minimis moretur, àc ignavè referatur, aut alienis in ſedibus tumultuet, accidit Percuſſio, Calor, Dolor, Rubor, Elatio, Intenſio, uno verbo *Phlegmone* mirùm quanta damna ferat ſanguis ſubſequens, antecedentem in affectâ parte premens; tùnc enìm fortiùs intruditur, compactior fit obex, pertinaciórque mora, atque lymphatica magis àc magis violantur vaſa; obſtructiones ſic auget tumultuans ſanguis, inflammationémque aggravat, vaſa uſquè & uſquè diſtendendo; hìnc minùs contrahuntur, minùs reſiſtunt, ipſorum tunicæ tenuiores fiunt, & ſi diutiùs vigeat morbus, diſrumpuntur, fit & ſuppuratio. Ex his conjicere licet, quàm opportunum ſit, quàm utile ab affectâ parte ſanguinem avocare: quàm

intempestivè autem ad ipsam derivaretur, advocaretúrve. Quùm igitur circulari motu sanguinem agi, jam liqueat, fructum indè capiamus; eâque notitiâ ducti mittamus in lucem quas in celebrandis variis venæ sectionibus Leges, prout eas quas ipsa in sanguinis circumactu natura servat, simùl & conformes observationibus à Medicinæ Πρᾶξι suppeditatis, nos & ipsi servare teneamur.

III.

AB omnibus retrò sæculis passìm & ubíque commendata sanguinis missio est: quo sanè Remedio nullum in Medicinâ tutius, efficacius nullum; nec non illi datas ab omnibus omnium ætatum Medicis, laudes quotidianus, Theoretice nostrâ juvante, confirmat usus. Cunctis enìm quibúsque venæ sectionibus, copia sanguinis ad cor per venam apertam reflui, sanguinísque porrò de corde ad partes fluxuri minuitur; hìnc Artus singuli fiunt æqualiter illius Egestionis participes: nempè vasis sanguine redundante pariter exoneratis, pariter decrescunt Elatio, Calor, Intensio, Rubor, Percussio, Dolor, & Oppressio; mitescit etiàm pulsus. Vasa autem detumentia, majori contractione vigent, àc libertate, ut & agant, & se se restituant; hìnc igitur Pulsus evadet expeditior. Jam contractione vasorum majori àc liberiore, simùl & sanguine minùs in vasis coacto, minore vi contrà Parietes illorum hic illidetur, & impulsui faciliùs cedet, atque reciproci utriúsque motus magìs librati manebunt, adde quòd promptior erit sanguinis circum-actus; frequentior igitur Pulsus, utíque simùl & æqualior. Quid plura? contractiones vasorum auctæ, potentiùs in sanguinem agent; potentiori autem vasorum in sanguinem Actione, sanguis quoque fiet magis & divisus, & diffidens minùs in suis principiis. Quùm verò sit rapidior sanguinis circum-actus, ita vasorum in sanguinem actio frequentior; hìncque colis sæpiùs obvius erit arteriosus cruor: his verò minùs compressis. Liberiores evadent secretiones, purgantiáque faciliùs agent; denique sanguis aliquâ suæ molis parte minutus, in vasis faciliùs, expeditiúsque intùs movetur; alterantia tùnc faciliùs per liquidum feruntur remedia, sanguinísque partibus magis intimè miscentur, vímque suam tutiùs & efficaciùs in illas exercent. Demùm, si quid in nativo sanguinis motu inordinatum, id venæ sectio corrigit, quæ meritò quidem tanquàm ἡγεμονικὸν remedium, omni ævo habita fuit. Gratulari nobis prætereà possumus, quòd prospera undè pendeant sanguinis missionis commoda, clariùs Neotericis, quàm veteribus notum sit; hi etenìm paludosum nescio quem, quùm sanguini tribuerent motum, compluribus de sanguinis missione, in erroribus necessariò versati sunt: Neoterici autem cruoris circumactu instituti, certam variis in casibus, variis & ex partibus, sanguinem mittendi rationem determinare possunt. Tantos enìm quanti sunt in illâ, fructus percipere volenti non sufficit, qualibus conveniat in morbis, variáque illius celebrandæ tempora pernoscere; quâ corporis parte, pro diversis quibuslibet casibus, scire præsertìm expedit. Reverà sanguinis missio spectata tantùm ut egestio, quâ quædam cruoris in vasis contenti quantitas emittitur, quoquo in membro fiat, nil interest; ejus nempè pendet effectus non à loco secto, sed à quantitate sanguinis educti. Illa sed egestio rarò fit, nisi revulsionem singularem & derivationem creare propositum sit: effectibus utriúsque gravissimis & inter se oppositis, alterutrum, prout diversi casus exigunt, eligere prudens cogitur Medicus; & proindè decernere locum, venæ sectioni congruum, ut in ægrâ parte, proposita fiat mutatio. Jam verò revulsio, derivatióque, licèt diverso modo, ad omnes æqualiter sanguinis missiones attinent. Dum major cruoris quantitas in partem ex quâ emittitur sanguis, utíque simùl & vicinas in partes ex eodem Arteriæ trunco sanguinem haurientes, adducitur; Derivatio fit. Cruorem

verò parti undè ſanguis elicitur, proximíſque partibus deducendo, proportione eâdem, à remoris quas oppoſitus alluit arterialis truncus, avertitur ille: Revulſio. Unâ ſcilicèt vacuatâ parte, facilior ad eamdem ſanguini ſucceſſuro datur acceſſus; omne nimirùm, venæ ſectione, in cruoris proceſſu tollitur impedimentum, eodem remanente momento; quippè quùm brevior ſanguini ſternatur via, omnis evaneſcit remora quam paſſus fuiſſet, à loco reſecto ad cor, per totum venæ tractum, tàm ex parte vaſis Parietum, quæ ex naturâ ſuâ, ſimùl & partium adjacentium compreſſione, collabi tentant, quàm ex parte angulorum & ſinuum in quos ruit, àc frangitur ſanguinis Agmen ad cor tendens; tandem ex parte affrictûs quem patitur omne liquidum contra vaſis parietes, intrà quas ſemper in niſu eſt, hócque magis, quò major fluidi moles: adde quòd ſanguis aërem interfluens, huic minùs ſui motûs impertit, quàm colomnæ ſanguinis intrà venam antecedentis; hìnc velociùs, & proindè ſtatuto tempore uberiùs, quàm anteà, per inciſionem venæ, cruor effluet. Sanguinis autem velocitas in reclusâ venâ nequàquam augeri poteſt, quìn augeatur etiàm in Arteriis quibúſque capillaribus ad ejuſdem ramos deſinentibus; necnon eâ in Arteriâ, undè ſuam ſingulæ capillares iſtæ originem trahunt. Sanguine nimirùm rapidiùs abrepto, ſequentíſque proindè curſui reſiſtente minùs; ſic & poſterioris æquâ proportione creſcere debet velocitas. Eamdem ob cauſam hæc-ce aucta velocitas ſecundùm arterialem omninò truncum à corde ad Arteriam quæ tota ſectam in venam proruit, exporrectum communicatur. Iſta ſanè aucta velocitas à corde gradus habet impares præciſam uſquè ad venam, cui proximè reſpondentes Arteriæ, adauctum hunc motum penitùs excipiunt; ſed in arteriali trunco ſanguinem his Arteriis, ſicuti cæteris lateralibus impertiente decreſcit, eóque minor fit, quò locus Arteriæ, cujus hìc meminimus, cordi propinquior. In omnibus igitùr venæ ſectionibus, loco reſecto, ſanguinis accidet Derivatio. Hæc autem pro majori, vel minori ſanguinis eliciti copiâ, major, minórve; pro majori, vel minori ſanguinis in corpore contenti, item; prætereà magìs aut minùs velox, prout celeriùs, lentiúſve per venæ apertionem effluet cruor. Vix benè inceptâ ſanguinis miſſione, incipit & Derivatio: copiâ ſanguinis educti creſcente, creſcit derivationis impetus; modò finitâ ſanguinis miſſione, magìs quàm alio tempore quolibet, augetur: illáque perfectâ citò decreſcit. Deletâ jam Derivatione, pars ex quâ ſanguis elicitus fuit, eodem modo, eâdémque proportione quâ cæteræ corporis partes, Egeſtionis fit particeps. Ut Derivationem aliquam omnis parit Egeſtio, ita Derivatio omnis Revulſionem infert; quâ enìm proportione Sanguinis Miſſio novam cruoris quantitatem derivat in arteriali tubo, venæ ſectæ correſpondente, ſimùl aliis ab Arteriis eamdem ſanguinis alioquìn hùc fluxuri quantitatem avertere debet. Ad omnes verò attinet ea Revulſio corporis partes, quæ ab aliâ quâvis Arteriâ, quàm ab Arteriis è trunco apertæ venæ continuo, germinantibus, ſanguinem excipiunt. Necnon induci Revulſio poteſt à partibus, quæ è quibuſdam Ramis trunci ipſius, patefactam in venam transfundentis, ſanguinem hauriunt; ubi quantitate ſanguinis in corpore minimâ, híſque trunci Ramis cordi proximioribus, à Revulſione Derivatio ſuperatur; verùm hæc pro quantitate ſanguinis, & pro Rami à corde diſtantiâ, Revulſio variatur: quùm è contrà Revulſio, quâ ſanguinis miſſio afficit Arterias, quæ ab arteriali trunco venæ ſectæ reſpondente, à corde ſimùl ùt exeunt, divelluntur, certa eſt penitùs & rata. Hæc autem Revulſio, Derivationis in oppoſito trunco factæ, modum ad amuſſim ſequitur; ut enìm uberior in arterialem truncum diffluet ſanguis, ita parcior in oppoſitum truncum præcisè manabit. Stat igitùr pro ſanguinis eliciti quantitate, addamus & pro cruoris in corpore contenti copiâ, Revulſionem majorem eſſe, aut minorem. Item pro majori, vel minori ſanguinis per venæ inciſionem exeuntis velocitate, magìs aut minùs cita Revulſio. Tamdiù permanet Revulſio, quamdiù Derivatio ex quâ pendet: unúſque tùnc per-
manens

manens effectus, venæ sectione ubicúnque factâ residuus, scilicèt est Egestio, quæ omnes proportione servatâ, jam sublevat partes. Abs Revulsione certâ efficitur depletio propria & specialis, quæ Egestionis catholicæ, in affectâ parte ab emisso sanguine productæ, commodum exaggerat: sanguinis ex illâ reditum adjuvat: copiam hujus accedentem imminuit, impetúmque coercet: vasa mox mox dirumpenda exonerat: partes ibì timidiores demittit: interim defluit venis agitatus sanguis, concidit calor, fugiúntque dolores; quid memorem? majorem dat sanguinis emissioni vim, partique laboranti efficaciùs applicat effectum. Ipsâ scilicèt nisus sanguinis ad partem affectam affluentis semper, avertitur; & ad oppositam convertitur, illiúsque morantis tollitur obex, promovetur reditus, atque vasorum suscitatur contractio. Plura verò, pessimáque imminent incommoda, à Derivatione factâ in partibus tensis, ingurgitatis, inflammatis, aut inflammationi proximis, in quibus ægrè circum-agitur sanguis, & quibus nova sanguinis repentè subruentis accessio ipsum in illas partes projiciendo, harúmque vasa prægravando, determinaret infarctus, augerétve. Quid abs veterum erroribus desciscere cessas? cujuscúmque ætatis veritati cedere, ampliùs ne recuses.

IV.

NONNULLI etiàm peritissimi tantò cultû & amore Antiquitatis venerandæ capiuntur, ut hujus ætatis nostræ viros suprà veterum sensus efferri cogitando, vitio tribuant, àc indignentur; quibus erroris notam ascribi, immò ab ipsorum sententiâ discedi periculosum esse, paritèr àc odiosum clamant. Dùm omne ad summum perducitur doctrinarum genus, immutare nefas, aut addere aliquid in Medicinâ, quæ cæteras inter Artes, Ars maximè longa! Fragilis eheu brevísque vita hominis; undè sæpiùs inchoat, minùs absolvit homo: & quæ adumbravit ætas prægressa, vulgò perficit proxima. Immeritò illi quidem, usum & earum quas ad Medicinæ πρᾶξιν invênere nostri, rerum applicationem improbantes. Aut in exercendâ Medicinâ prodesse theoreticem negent, aut quidquid speculativam ditat, eo πρᾶξιν promoveri fateantur ii necesse est. Nemo sanus utilitates in theoretice, *Mechanicarum* ope, perceptas non agnoscit. Quàm enim amabo demonstrant elucidè proprios partium corporearum actus, quarum notiam suppetit Α'νατομία accuratam adeò, adeò sæculis prioribus altiorem, ut ipsi veteres, si modò reviviscant, hâc in Arte rudes, Recentiorúmque Discipuli viderentur. Edocente scilicèt Α'νατομία circularis motus fluidorum inventus, àc demonstratus est: atque vasorum Magnitudo, Distributio, & Directio manifestè patent. Jam verò quantos Ars *hydraulica*, quâ liquorum corporis in vasis fluxus nobis clariùs innotuit, tulerit fructus, quis memorare queat? Ipsorum autem incentivum in corpore humano, Aeris momentum, cujus proprietatum Notitia nostris debetur temporibus. Humanum vero corpus, *hydro-pneumo-statica* Machina. His igitùr in fontibus hauriendi sanguinis missionis effectus, Egestio, Derivatio, Revulsio, tres illi scilicèt individui semper, semper à se penitùs discrepantes. Turpitèr allucinatur quidèm quisquis uno Derivationem, àc Revulsionem differre vocabulo putat, quòd una necessariò sequatur alteram, hujúsque sit proximus effectus; hoc ultrò demus: at variis in partibus, diversóque sub respectu. Itá-ne verbis ludere integrum? omnibus herculè sic abutatis. Sui cuique sunt Derivationi, & Revulsioni speciales effectus; ipsos, qui, quàm varii sint discernere non valeat, in errores labitur maximos: semper in incerto, semper in variatione sensûs damnosè fluctuat. Derivationi è diametro opponitur certa, Revulsio: hæc ab illâ differt, ut effectus à causâ. Revulsio námque nihil aliud, quàm imminutio, quæ cruoris quantitati quibusdam in vasis fluxuri, sanguinis missionis ratione accidit; sivè differentia est majorem inter cruoris quantitatem, quæ ibi fluébat, &

minorem quæ dùm perficitur sanguinis missio, nunc manat. Derivatio è contrà cruoris adjectio est per sanguinis missionem, fluentis; hæc se habet pro vasorum in quibus fit, distantiâ abs Arteriâ ipsâ, quæ sectam in venam desinit; Arteriarum verò Rami certæ Revulsioni obnoxii, æqualiter hujus participes fiunt. Hæc autem in æquâ semper est proportione Revulsio, cum Derivatione, cùm ad magnitudinem, tùm ad velocitatem: ambarum quæque harùm-ce proprietatum, effectus habet impares; hos non distinguere, errare est. Derivatio, Revulsióque possunt esse magnæ simul & lentæ; parvæ simul & veloces; quod in Pulsus varietate observatur, huc conferri potest; ità Revulsio parva, sed velox, in Inflammationibus fieri potest utilior, quàm Revulsio major, sed lenta. Jam verò à derivatione, minùs aliena Revulsio incerta, sive *variabilis*, quæ nimirùm in ramis trunci sectam in venam effluentis conficitur; Sanguinis missio videlicèt derivatione truncum afficit undè germinant Rami, quorum unus sectam ad venam tendit, alii verò hìque cordi proximiores alluunt partes, è quibus Revulsionem accidere supponimus. Ab eâ derivatione varii proveniunt, quos incerta patitur effectus Revulsio; scilicèt pro variâ Arteriarum origine, copiâque sanguinis in corpore contenti, nec-non & pro diversâ cruoris eliciti quantitate. Varia dùm fit Revulsio, venâ compressâ, statìm cruor sectione venæ derivatus, eumdémque eodem in vase motum, & tenorem aliquandiù servans, lateralibus trunci Arteriis, præcluso exitu, jam succedit, quásque alluit partes aggravat, donec assuetus sibi restitutus sit motus; hìnc dubium Revulsionis incertæ & mutabilis commodum, sæpiùs dirimit certum derivationis incommodum, quùm cruoris copia sufficit derivationi conficiendæ intrà Arterias ipsas, in quibus nunc nuper erat Revulsio. Igitùr ad eas tantùm Arterias trunci, derivatione jam affecti, variam pertinere Revulsionem, ratum sit, atque constitutum. Veteres in legibus quas se se distribuendo, fluendóque servat sanguis, nequàquam oculati, varios variis venæ sectionibus, prosperos effectus tribuebant, certæ, àc incertæ Revulsioni potiùs tribuendos; ideóque perpaucæ corporis partes, è quibus sanguinem non elicuerint. Felices qui derivationi immeritò dantur effectus, hósce Revulsio sibi vindicat. Sic allucinati derivationis fautores, sicuti plerique veterum, sententiam propugnant, alterutri ratas ob Curationes, quæ causam arguunt Revulsionem incertam, non derivationem; ita post multam sanguinis effusionem, abs ipsis commendata derivatio, verè erat lateralis Revulsio. Luculentum quidem rei suppeditat monimentum, sanguinis è Jugulo missio; hæc, quùm per venæ *Jugularis* externæ sectionem efficitur, exitum sanguini, exteriore capitis parte refluo, facilem præbet, reditum accelerat, hincque cursum adjuvat sanguinis in externâ *Carotide* Arteriâ, cujus rami, externæ *Jugularis* venæ ramis omninò respondent; sicque venæ sectio derivationem sanguinis inducit hanc in arteriam, proindéque canalem in arterialem, eamdem ad arteriam à corde protensum. Si quantitas ergò cruoris, quam sanguinis è Jugulo missio communem in truncum insupèr allicit, superetur ab eâ, quam externam in *Carotidem* simùl eadem derivat sectio, unam sanguinis, internam in *Carotidem*, indéque in cerebrum, alioquì solito more fluxuri partem, externam ad *Carotidem* diverti, constat; undè *Carotidis* rami interni respectu, Revulsio fit lateralis, liberando cerebro utilis. Ex his liquet sanguinis è Jugulo missionem prodesse nihil, immò nocere plurimùm, nisi plures alias subsequtam. Debuit scilicèt totum anteà minui sanguinis pondus: alioquìn si nova cruoris quantitas ad communem *Carotidum* truncum solito copiosiùs determinata, superet eam quæ illinc externam in Carotidem, utique suprà morem, derivatur, nova hæc sanguinis accessio internam ad *Carotidem* profluet, undè rata sequetur in utrâque *Carotide* derivatio, quæ cerebro malè infarcto, partéque capitis externâ tanquàm ad Inflammationem intumente, plurimùm nocebit. Ad explicandos sanguinis è Jugulo missionis effectus, quæ dixi-

mus; dignoſcendis etiàm ſectionis arteriæ temporalis effectibus inſervire poſſunt, ut-potè *Carotidis* externæ ſurculus, temporalis arteria. Sic indicantur quæ ſint nocitura, quæ profutura ſint, quibúſque auxiliis vincere natura poſſit. Nil moreris: incerta pro certis muta; jàm morbi naturam noſcis: ſummum applica Remedium.

V.

QUÆ res in Medicinâ duæ plurimùm hodiè poſſunt, eæ contrà nos ambæ faciunt in hoc tempore, Auctoritas, & Ætas. Auctores quidem tùm Majores, tùm Neoterici pleríque de revulſorio in Inflammationibus auxilio, vel abs nobis diſſentiunt, vel ipſis ſibi contradicunt. Primam autem hujus noſtræ ſententiæ videmus ætatem; at omnis ætatis veritas, atque veterum in Medicinâ notiones mutare, illuſtraré-ve licet; aliàs, quò doctus evaderet Medicus, uni veterum lectioni, ſi crederet, memoriâ magis proficeret, quàm judicio. Hodiè quidem complures, non niſi ex Interpretatione ſapiunt, atque in Auctoribus quaſi ſtipem petunt, alieníſque oculis oberrant, nec tàm eunt, quàm ſequuntur; hìnc ſæpè cadunt, ceſpitánt-ve. A Patribus ſcilicèt, quidquid tráditum avidè arripiunt: non diſcunt, ſed de iis credunt. Suis autem abs Æqualibus, quod non ſimùl græca commendat auctoritas, mutuari abhorrent. Medicos nimirùm veteres maximo, Neotericos extraneos quidem aliquo, indigenas autem nullo colunt honore. Quod in Arte ſancitum, clamant, diſturbat novitatis ſtudium! ità: ſed herculè, quò plura excutit præjudicia inventio nova, eò pluris habenda; pluribus ſcilicèt àc gravioribus liberat erroribus. Objectum miræ ſpeciei Antiquitas! quò remotius, eò majus illis apparet. Ludente velùt rerum in ſpeciem abſcedentium Picturâ, eminùs quaſi faſcinantur oculi; ità quò remotior antiquitas, eò divinitùs magis ſapere creditur: at verò ſicùt illâ cominùs inſpectâ, detegitur error, ſic penitiùs hæc ſcrutata, minùs eximia animadvertitur. Contrà ſanguinis intrà vaſa circum-acti Inventum, quia novum, acriter tùnc diſputatum eſt; hodiè verò contrà hujus Inventi, ad Medicinæ Πρᾶξιν per debitas ſanguinis mittendi leges, accommodationem inſurgere, non mirùm; eâdem hæ concident ſorte inſectationes, quâ illæ. Perit invidia: ſtat veritas. Nullâ hominum, àc temporum ratione aſtringi profitemur; auctoritatem auſcultamus: Evidentiæ ultrò damus; illam ſi abs hâc diſſentiat, rejicere non cunctamur, quò majore, ut par eſt, hominum obtrectatione ludemur, ſi feliciùs id quod contendimus aſſecuti fuerimus. Sanguinis miſſionum doctrina, cruoris intrà vaſa circumactûs corollarium; hinc veteres arbitri quæſtionis minimè legitimi, ut-potè qui genuinam Inflammationum naturam, & determinatum ſanguinis intrà vaſa curſum penitùs ignorabant. De cruoris quiete error, mirè ſagaces fefellit Medicos; quàm longiſſimè tamen à parte dolente revocandum, ſæpè commendare ipſos videas, neque tùnc eos illa opinio fefellit; at plures, ſæpiùs derivatione partem, finitis Revulſione, reddebant doloribus; aut Revulſionis variæ fructus animo ſentientes, Derivationis luſit Imago. His adde quòd animi uſquè ad deliquium, ſanguinem quùm elicerent veteres, Derivationis tùnc incommoda, catholicæ ferè penſarentur Egeſtionis commodis; *Evacuationis* ſcilicèt magnitudine, periculoſi Derivationis levabantur exitus; Egeſtió námque ſi nulla Derivationem ſequeretur, hujus multò adhùc graviora, quàm vulgò, forent incommoda; nimirùm ſanguis dùm elicitur, copioſiùs, quàm anteà reclusam, ad partem advolat: compreſſâ deindè venâ, eâdem quâ antè venæ ſectionem quantitate, per illam diſtribuitur: atque ipſa brevì depletur; at verò ſemper minùs quàm cæteræ corporis partes; aucto námque liquidi appulſu, violantur ibi vaſorum Intercapedines: indè Derivationis labes. Fruſtrà demonſtratio-

tem ut declines, liquorum curſus, atque vaſorum Intercapedines, vimque eorum reſilientem, eadem morbido in ſtatu, ac ſano non eſſe, objicies; réſque felicius tibi non ſuccedet, variam humorum mutationem proferendo; hæc quidem ad venæ ſectionem, non ad venæ electionem faciunt, ſed tantùm modò obſtructionis locus, ad id conducit. Semper culpandum igitur derivationis ſtudium; ipſa quippè non aufert inflammationum cauſas: nimium ſcilicèt liquidi motum, aut lentorem: canalis inflationem citrà obicem, tràns hunc verò illius contractionem; nimiâ quìnctiam, per Derivationem inflatione obliteratur Arteriæ pulſatio, quâ morans oppugnaretur liquor; tubuli enim partem, quæ obſtructam præcedit, enixè dilatat; derivatione prætereà, vicinorum creſcit vaſorum tumor, qui canalem ingurgitatum comprimendo fortiùs, remorati liquoris reſolutioni obſtat. Eſto, cauſam aliam Inflammationum proferre conaris, ſemper Derivatione, majorem cruoris copiam in affectam partem adduci conſtabit; novo autèm liquoris appulſu non eluetur Inflammationis agger; ſpernit enim obſequi Inflammationem ciens arterioſus cruor, indè ne venit quidem; ſed ex vicinis tantùm arteriæ ramis; hìnc obicem tranſcendere nequit affluens ſanguis, hìnc magis ac magis diſtenduntur vaſa, hìnc diſrumpuntur, & addit ſe in ſpatia cruor, quùm carceribus ſeſe effudit; ſequitúrque ſuppuratio, vel gangræna. Firmiter verò ſatis quùm obſiſtunt vaſa; tùnc impellens Derivationis momentum premit, adigit, condenſat, induràtque obſtruentem materiam, & ſequitur *Scirrhus*. Emetica, dicunt, Capitis inter affectus, ægrotanti ſæpiùs proſunt. Age: quid tum? Sanguinis Derivatio, inter movendi conatus in capite verè ab illis producitur. Eſto: at proſùnt-ne Derivatione? Apage: plurimùm hâc nocent; in Apoplexiam quippè aliquandò inducunt emetica: ſputa ſæpè cruenta, quandóque cruoris è Naribus eruptiones extorquent, atque inter vomendi conatus, creſcit dolor capitis; queis timebit Medicus providus auſpex. Depletis reverà ſanguiferis vaſis, caput tùnc ſublevant Emetica, quòd eadem vis, quæ ſtomachi, ſymphathiâ quâdam ſpaſticum *Diaphragmati*, muſculíſque abdominis motum ſimùl imprimentis, fibras ſuſcitat, duram Matrem pari mechanicâ contrahat, cerebrúmque ſtrictiùs amplectatur. Illa ſcilicèt duræ Matris, àc ſtomachi ſympathiâ, vomitum promovent Plagæ capiti inflictæ. Egeſtis autem ſtomachum prægravantibus, ſæpè liberatur caput; primæ enim liberantur corporis viæ, abs materie, quâ diſtentabantur, comprimebantúrque; ex glandulis quín-etiam exprimunt Emetica lenteſcentes ibi humores, ſic faciliùs ſanguis ex Aortâ inferiori, per ejus ramos ad has partes defertur, proindéque minus per ramos ſuperiores, & tunc Emetica etiam reſpectu capitis, Revulſiva. Adde quòd in cerebri morbis pituitoſâ colluvie ſubſtantiam illius irrigante ſubortis, ſæpiùs proſint Emetica: rariùs autem in aliis, obſtructione per inflammationem vaſorum ejuſdem excitatis ſuccedere deprehenditur. Derivatio ipſa nocet etiam, ubi aliàs vulgò prodeſt, ſi inflammmatio; Muliebres quidem ut fluxus aut provocet, aut inducat, ultimas non tenet Derivatio: Matricis verò ſi cum inflammatione, ſanguinis tùnc è naribus eruptio, & quæcùnque revulſio, valetudini reſtituendæ ſemper proſunt; ſic ex brachio ſanguinis miſſio muliebria effluvia reſtituit ſuppreſſa, ſi proxima Inflammatio; Derivatio è contrà per *Saphenæ* ſectionem, obſtructionem tùnc auget, inflammationémque conficit. Jam verò prodeſt Derivatio quibuſdam in diſtenſionibus ventris, quas efficit minùs reſiliens fibrarum ventriculi vis, atque textura, ſimùl & inteſtinorum, conſequenter ad preſſionem, quam nervi partium earum radicitùs patiuntur, utì ſanguine partem aliquam cerebri comprimente frequenter accidit. Hâc eâdem ferè ratione in nonnullis opportuna Derivatio, Abdominis intenſionibus acerbis, quæ à criſpatis unà cum diſtenſione fibris, ut in *Hyſtericis*: hæ autem, non ab inflammatione ſubortæ diſtenſiones. Accedit eò quòd majus inflammatæ parti incommodum

modum infert, in ipsâ Derivatio, quàm commodum creare posset Revulsio; reclusâ enim in parte, Derivatio semper major, quàm Revulsio à parte, cujus gratiâ mittitur sanguis. Æqualiter quippè partitur Revulsio arteriosis omnibus ramis, trunco, in quo Derivatio, oppositis; Derivatio autem major parti, quam secta perreptat vena: partibus verò quas ejusdem trunci laterales rami alluunt, minor; duplex námque Derivatio: directa una, lateralis altera; illa intrà Arterias & capillares venas quæ sectam in venam immediatè transfundunt, major: hæc verò in ramis trunci Arteriæ suppeditantis præcisæ venæ, minor. Sic Derivatio sanguinis in caput, *vertebralem*, *carotidémque* per Arteriam sanguinis missione è brachio vel sinistro, quo per *vertebralem* tantum, major etiam, quàm Revulsio, quæ eâdem sanguinis missione fit per *vertebralem* alteram, binásque *Carotides*; capitis enim respectu minor hæc Revulsio, quum partiri hæc debeat omnes inter partes, quas inferior *Aorta*, alteráque *subclavia* alluunt; æqualis quidem ut foret Revulsio in partibus ex inferiori *Aortâ* sanguinem haurientibus, àc in partibus, quas superiores *Aortæ* rami perreptant, multò major fieri deberet sanguinis missio è Brachio, vel è Jugulo: minor verò è Pede; quum ex inferiori *Aortâ* multò plures, ac capaciores prodeunt surculi, quàm ex superioribus *Aortæ* ramis, qui pauciores perreptant partes. Hinc superioribus in partibus efficacior Revulsio, periculosior ad eas Derivatio. Revulsionem, sanguinis è Pede missioni, magis non ascribimus, quàm alteri cuicúnque, sive in Brachio, sive in Jugulo; immò ex jam statutis, hæc venæ sectio multò sæpiùs celebranda: ex dictis si quidem, inferior *Aorta* sanguinem largitur partibus multò pluribus, quàm superiores rami. Reverà sæpè fit, ut partium ex inferiori *Aortâ* irrigatarum φλεγμονὴ, comites habeat inflammationes partium quas perreptant superiores rami; hinc sæpiùs determinanda Revulsio ex superioribus partibus, quàm ex inferioribus; nostræ quia sollicitudines multò sunt de Capite graviores, quàm de quacúnque corporis parte Revulsioni subjectâ. Sic agendum in variolis, in quibus corporis superficies sæpè tuberculis obducta, ita in capite per externam *Carotidem* difficiliùs fluens sanguis, per internam copiosiùs fertur, illúcque difficiliùs revehitur, ad reliqui verò corporis superficiem, potissimùm per inferiorem *Aortam* defertur cruor, hinc sanguinis cursus in hâc minutus, augetur in superioribus ramis, ubi minor resistentia ex parte cerebri, quod faciliùs comprimitur, inflammatúrve; utilis proindè, ac necessaria sanguinis missio è Pede in variolis, ut fortiùs inferiorem in *Aortam* appellatur cruor, quod *variolarum* eruptionem feliciter sæpè promovet, nimiam glandularum cutis astrictionem remittendo: ipsarum sæpè texturam firmando. De *Saphenæ* sectione, mitte nimias super pulmonibus curas, quum omnis sanguinis missio, horum respectu, merè deplens: ex altero quidem cordis ventriculo, quàm qui venæ sectæ in quâcunque corporis parte, suppeditat, mutuatur sanguinem. Cordis ratione, item & pulmonum, communísque trunci Aortæ, nulla fit Derivatio, Revulsio nulla, sed Egestio, hujúsque fiunt citiùs participes, quàm alia quævis corporis pars; pulmo quidem priùs, quàm ipsa cordis substantia, cor verò citiùs quàm *Aortæ* truncus communis; hócque eò celeriùs, quò secta vena, cordi propior est. Per distantes verò partes, ad Revulsionem, Derivationémque, non intelligendæ partes externâ corporis structurâ remotæ; hæc etenim sumi debet distantia pro vasorum origine, atque distributione. Major autem, minorve, pro ætate, sexu, temperamento, & morbi accidentibus celebranda Revulsio, quæ, etiam minor, si celerior, efficacior: Inflammationum tutum est, ac dulce linimen, quod semper, efficax, & præsens; proximos illi tamen occupat incerta Revulsio honores. Hoc verum ubíque, ubíque constans, immutabilibus si quidem stabilitum legibus animalis œconomiæ, quæ eadem Cadomi, àc Parisiis, & Parisiis àc Madriti: par est *Mechanica*, similis partium textura, eadem naturæ admi-

niſtratio, genuina temperies. Incurrat igitur ignorantiæ ſupinæ labem, hóc-ce præſertim ſæculo, quo clariſſimam Medicinæ πράξει lucem attulerunt recta vis ingenii, *Mechanices* & Α᾽νατομία, jam ad ultimum quaſi perfectionis Apicem adductæ : vel extinctâ ratione prorsùs, præjudicio turpi deluſus aberret quiſquis inter inflammationes, ſedem ratam habentes, certis Revulſionis certæ commodis, Revulſionem incertam, eamdem ancipitem, inutilem ſæpè, ſæpiùs nocentem ſubſtituat. Multò magis culpandus etiam, ſi derivatione tunc utatur, quæ partes jam offertas onerat, nedùm ſolvat.

Ergò ſemper in Inflammationibus Revulſio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta Boyer.

M. Deſiderius - Claudius Fremont.

M. Joannes - Joachimus Coſtar.

M. Henricus Beſnier.

M. Joannes Beſſe, Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ à Conſiliis, & Medicus primarius.

M. Antonius de Juſſieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Botanices in Horto Regio Parienſi, Profeſſor.

M. Alexander-Petrus Mattot.

M. Petrus-Joannes Burette, Profeſſor Regius, & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.

M. Petrus Marais.

Proponebat Pariſiis, PAULUS-JACOBUS MALOUIN, Cadomæus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1730. à ſextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1730.